

Letter 611: [Second half of May 1536, Zweibrücken], Johannes Schwebel to Capito

Printed in *Centuria*, 295–8, no. 84.

Iohannes Schwebelius Wolffgango Capitoni.

Literas vestras relegimus, quae incredibili voluptate nos affecerunt. Omnino enim speramus, Deum pacis congregationi tam sanctae daturum spiritum, ut in dogmatibus religionis sanctae conveniant et paci ecclesiae multo cum fructu consulant, qui hactenus evangelium pacis, summa fide et constantia annunciarunt, gestit animus videre venerabilem coetum, tot eruditissimorum et pientissimorum virorum et simul spectare, quanta gravitare res gravissimas tractet spiritus sanctus per organa sua electa. Sed ut nostra praesentia, non magnopere opus habetis, ita nec adesse possumus, utcunque vobis omnibus adesse cupimus. Nam praeter alia vel hoc potissimum obstat, quod uterque nostrum solus in officio est, a quo diutius abesse non libet. Glaserum nostrum etiam corporis valetudo impedit. Ego vero nullum habeo symmystam, qui me absente, ecclesiae meae curam habeat.

Agimus ergo gratias immortales, qui hoc honore nos dignati estis, ut idoneos iudicaretis, qui in conspectum clarissimorum virorum admitteremur. Si non corpore, certe spiritu aderimus, orabimusque patrem coelestem, ut spiritum sapientiae et consilii vobis donet, ut ecclesiae constituatur pax. Nosti, optime Capito, nos semper pacis studiosos fuisse et odiosas illas rixas ex animo, odio habere et libenter sentimus cum piis et eruditis, qui pure et simpliciter fidei nostrae dogmata tradunt. Ideo dudum confessioni illustrissimorum principum, cui Philippus etiam apologiam addidit, subscripsimus id quod clarissimo nostro principi mire placet.

Oramus autem, ut reversus de synodo, vestra nobis acta communices, ut communi vobiscum studio gloriam Christi promoveamus et omnibus modis glorificemus. Si quid nostro nomine agendum erit, hoc totum tibi, Melanthoni et Bucero, observandis fratribus nostris, committimus. Scimus enim vos nihil suscepturos, quod a sacra scriptura discrepet. Quod si interim se obtulerit occasio, ut sine nostrorum damno discedere liceat, nulla in nobis erit mora nullis parcemus sumtibus nullosque labores abterfugiemus. Vale.